



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1729. usque ad annum 1731

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1785

VD18 13322648

§. 25. Quorumdam Franciæ Præfulum oppositio contra præfatum officium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67677](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67677)

xandro VII. Romanæ Urbis Basilicæ Sæc. XVIII.
 utebantur, non erant contenta. A. C. 1729.

Vix hoc folium Gallici Regni fines attigerat, cum illico quædam Franciæ Parliamenta sese ei opponerent, ac Regiam auctoritatem, Regni jura & Ecclesiæ Gallicanæ libertates lædi vociferarentur. Præcesserat ceteris Parisiense, quod paulopost Metense & Burdegalense & Britannicum sequebantur. Verum intempestivos horum ausus Cardinalis Fleuryus primus Regis Administer suppressit, dum hanc temeritatem eis acriter exprobrans, inhiberet, ne hac in re quicquam inconsulto Rege, attentaretur: Insuper supremus Regni Cancellarius ad omnes Parliamentorum Præsides rescripsit, vetuitque, ne ipsorum Procuratores sub obtentu conservandæ libertatis Gallicanæ contra Gregorii VII. Officium reclamarent, quin prius Regis consensum obtinuissent.

§. XXV.

Quorundam Franciæ Præsulum oppositio contra præfatum Officium.

Hoc interdicto parumper refrænabatur Parliamentorum audacia, quæ tamen novis viribus aucta est, dum

G 5 appro-

Sæc. XVIII. approbantis, imo & jubentis Cleri au-
 A. C. 1729. toritas accessit. Hoc enim anno die
 vigesima quarta Julii Carolus Gabriel
 de Levy de Caylus Antiffiodorensis Epi-
 scopus palam Instructionem Pastoralem
 contra dictum Officium divulgavit, in
 qua præprimis ex S. Literis ostendere
 nitebatur, nec Regnum Christi, nec
 Regnum Ecclesiæ esse de hoc mundo,
 Cæsari dandum esse, quod Cæsaris,
 Christianos circa temporalia Principi-
 bus Idololatricis plene fuisse subjectos,
 ac Christianam Religionem, si sibi po-
 testatem in temporalia arrogasset, Prin-
 cipibus fuisse exosam, proin profanam
 potestatem esse omnino distinctam a
 sacra, ejusque sine, qui non alius esset,
 quam homines ad Regnum Cælorum,
 salvis legibus profanis, conducere; pri-
 mum autem ex Pontificibus existisse
 Gregorium VII. qui Reges exauctorare,
 eorumque Regna aliis tradere ausus
 fuisset; injustam tamen hanc usurpa-
 tionem Verbo Divino, SS. Patribus,
 Ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, Regni
 juribus, Status & patriæ legibus maxim-
 opere adversam esse, & tamen velut
 eminentis sanctitatis, qua Gregorius
 VII. effulsisset, specimen commendari
 ab obscuro dicti Officii Authore, hunc
 quoque non advertisse, quod hos au-
 sus in Gregorio approbans, Principes
 Aca-

Acatholicos adhuc magis ab Ecclesia Sæc. XVIII.
 segregaret, aliis vero Catholicæ Ec- A. C. 1729.
 clesiæ unitis justam diffidentiam instil-
 laret, ac denique ipsum Deum, pacis
 Auctorem redderet Auctorem facinoris
 ad invehendam rebellionem aptissimi;
 id patere ex eo, quod in Lectione VI.
 legeretur, *visam esse columbam e caelo de-*
lapsam ejus humeris insidere, ac significari,
illum Spiritus Sancti afflatu duci in Regi-
mine Ecclesiæ, ac in oratione exprimi,
quod Deus illum pro tuenda Ecclesiæ liber-
tate virtute constantiæ roborarit. Denique
 hic Episcopus, ut omnem (prout aje-
 bat) adimpleret justitiam, & Regi nova
 suæ fidelitatis ac Zeli specimina daret,
 simulque sacratæ ejus Personæ secu-
 ritati, Regni tranquillitati prospici-
 ceret, malaque ex principiis in hoc
 officio stabilitis præveniret, omnibus
 & singulis suæ Diæcesis Ecclesiasticis
 inhibuit, ne præfatum Officium vel
 publice, vel privatim recitarent &c.
 Ejusdem ferme tenoris erant Instructio-
 nes Caroli Joachimi Colbert de Croissy
 Montpessulani, necnon Metensis Epi-
 scoporum, horum tamen prior insuper
 die 31. Decembris epistolam ad Regem
 dedit, in qua quicquid virulentum ex-
 cogitari posset, contra Gregorii VII.
 officium pleno alveo effudit.

§. XXVI.

Sæc. XVIII.
A. C. 1729.

§. XXVI.

*Horum Præsulum Instructiones a Benedic-
to XIII, Papa proscriptæ.*

Postquam Romæ horum trium Episcoporum oppositio innotuerat, summus Pontifex eorum scripta a pluribus Cardinalibus, ac Theologis examinari iussit, ac tandem ad eorum relationem, maturamque deliberationem Instructiones Antissiodorensis Episcopi die decima septima Septembris, Episcopi Metensis die octava Octobris, ac denique Montpensulani proscripsit edito hoc decreto: „Cum ad Apostolatus nostri „notitiam pervenisset, in vulgus cir- „cumferri quædam folia Gallico idioma- „mate typis impressa sub titulo. *Man- „dement de Monseigneur l'Evêque &c.* „Nos quamplures ex venerabilibus Fra- „tribus nostris sanctæ Romanæ Eccle- „siæ Cardinalibus, aliosque sacre „Theologiæ Magistros ad illorum exam- „men delegimus, qui post maturam eor- „undem foliorum discussionem, quid „sibi ea super re videretur, Nobis retu- „lerunt. Auditis itaque memorato- „rum Cardinalium, & in sacra Theo- „logia Magistrorum sententiis, de Apo- „stolicæ potestatis plenitudine, Ordina- „tiones in præfatis foliis contentas, „nul-